

VVITEBERGENSIS.

tinæ, & græcæ, & Dialectices, vt curent scribi, recitari
latinas declamationes, & argumenta eligi honesta.

OCTAVA.

DE gradibus seruetur consuetudo, quia comperimus
studijs profuisse & prodesse examina, & cum se ad
gradus præparant iuuenes, res cogit eos certis artibus
immorari, quod vt magis fiat, sciant studiosi nos exa-
mina non in cauillationibus, aut ociosis quæstionibus
consumpturos esse, sed in præcipuis artium materijs,
in Dialecticis, & Physicis, Arithmetica, Euclide, Sphæ-
ra, Theoricis, in locorum interuallis computandis ex
longitudine & latitudine locorum, & in doctrina Ec-
clesiæ. Harum doctrinarum cognitio utilis est omni-
bus temporibus, siue gradus accedant, siue non acce-
dant. Et tamen cura discendi crescit in his, qui sciunt
se iudicia præceptorum subituros esse, & secum ipsi
meditantur, quomodo ea quæ audierunt explicaturi
sint. Est etiam honestum habere bonorum & docto-
rum virorum testimonium, & gradus familiaritatem
cum præceptoribus alit & auget.

Sint autem inculpati, honesti, probati graui testi-
monio mores eorum, qui ad gradum admittuntur, Nec
admittantur contaminati prauis opinionibus de do-
ctrina Ecclesiæ, aut in quorum moribus aliqua hæret
turpitudine. Si quis ex alia Academia veniens petet gra-
dum, non admittatur nisi certum testimonium adfe-
rat, quod disertè adfirmet, mores eius esse inculpatos
& honestos. Non callentem grammaticam, & sum-
mam doctrinæ Ecclesiæ, ad nullum gradum admitti
volumus.

F iij

NONA.